



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Constantius Episc. M. 29. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Cur puder peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quòd si pudor tibi est, uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? S. Bern. in sent.

S. CONSTANTIIUS EPISC. M.

29. Ianuarij.

Nobilissimis parentibus ortus est CONSTANTIIUS; opulentam hereditatem his demortuis aditurus, nisi alios succedere sibi hæredes vivos voluisset; inopes scilicet assem CONSTANTII abstulere. At hic infulam Perusinam paulò post tulit. Quia verò geminis cæcis curatis oculos multorum Ethnicorum, M. Antonini ævo, aperuit; post crudeles verborum cruciatus in bulliente ab ignibus balneo plagas scilicet iubetur abluere. Verùm sub noctem illuc quoque de cælo lumen affulget, fideique lucem custodibus accendit. Iis auctoribus fugam capit, sed retractus, qui prius aquas, nunc in prunis ignem triumphat. Amissus proinde, sed tertium jam captus atrocissimè cæditur, mollissimè curatur ab Angelis, à tyranno denique capite plectitur. Funus ejus Cælites curarunt, cantuque tamdiu celebra-

72 VITÆ SANCTORUM. 30. Ian.
brarunt, dum Leucianus divino monito
eam curam in se reciperet. Id dum fit
& duo à fide alieni funus rident, oculos
amittunt, dum lugent, recipiunt.
Sed & aliis duobus pulsâ oculis nocte
lux rediit, ut suum jam omnes in CON-
STANTIO solem agnoscerent, quod
diem oculis, ut luberet, vel auferret, ve-
ferret. *Ex Surio.*

*Si non vales pro Deo mortem subire,
vales tamen vitam Deo placabilem ducere.
Magnum quippe est mori pro Christo;
sed non est inferius, vivere Christo. Non
potes sanguinum fundere, potes temetip-
sum pœnitentiæ telo percutere, & in cor-
dis contritione mactare. B. Pet. Dam.
serm. 33.*

S. ALDEGUNDIS V. 30. Ian.

ET si Numen amore omnes omnino
animas depereat, fatendum tamen
est, non raro etiam illustres ceras apud
homines quæsiisse. Ita ADELGUNDEM
è regia Gallorum stirpe oriundam vox
calo allapsa iussit uni Agno castum tha-
lamum servare; palmâ interim & veste
longè nitidissimâ arrhæ loco datis. Ad
id ipsum cum Angelus etiam Tutela-
ris palàm visus hortaretur, mater in-
terim jam telam in sindones nuptia-
les offerret, eâ Neophytos illa vestiit:
mox à morte matris, concubiâ nocte,
- ad